



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Salix. Hæreditas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## M Y R T U S.

GRATIA. CAP. XXXIV.

**M**Yrtus Veneri dicata, & ob id *Conjugula* dicta, multis morbis sanandis utilissima, gratia & bona valetudinis symbolum est.

Ob pulchri  
tudinem.  
Virg. Ecl. 7

## S A L I X.

HEREDITAS. CAP. XXXV.

**S**alix pulcherrimo hieroglyphico præter ea quæ à Pierio scripta sunt, hereditatem significat vel divinam, vel humanam: quoniam ut salix jucunda arbor est, quæ ad torrentes nascitur; sic ex hereditatis abundantia, quæ etiam per torrentem adumbratur, jucunditas lætitiæ; oritur, quod & vox ipsa Hebraica, qua in Sacris literis Salix nominatur, indicat, nam *vebir be nachal* appellatur, quod & jucunditates hereditatis, & salicem torrentis significat.

CORPORA NOSTRA. CAP. XXXVI.

**C**orpora quoque nostra salicis hieroglyphico significantur, quoniam ut salix nisi torrentis aquis irrigetur, non crescit; sic & corpora nostra, imo & nosmetipsi, nisi cœlestibus aquis irrigemur, & secundum decursum illarum plantati simus, fructum nullum ad vitam ferre possumus. Unde David de beato viro, *Hic arbori similis est ad aquarivum sua.*

Psalm. 1.

## C E D R U S, S I V E C I T R U S.

MISERICORDIA VEL PIETAS.  
CAP. XXXVII.

**C**edrus sive Citrus arbor, fructus gignens odore ac sapore præstantissimos, misericordiam pietatisque symbolum est, propter magnas utilissimasque mortali generi vires. Primum enim præbet refinam electissimam, quæ citria dicitur, dentium doloribus utilissimam, succus ejus elephantiasin curat, & pulmonis ulcera, valet contra venena, ardetque, velut facula. Unde Hebræi fructu ejus solemnem quemdam diem celebrabant, quasi Divinæ misericordiam opem implorantes. Quos æmulati Lacedæmonii, deos suos coronare solebant iis fructibus, quos oximala Persica nuncupant, idem per illos significantes quod Hebræi per Citrum. Lignum quoque ejus corruptioni minime obnoxium facit, ut cedrus pro immortalitate æternitateve accipiatur.

Discor. lib  
1. c. 98. &  
ibidem  
Matthæo-  
lus.  
Cetri vir-  
tut.  
As citro  
omnino  
differt à  
cedro de  
quo Mat-  
thæol. in  
Disc. cap.  
133. lib. 1.

## P A L M A.

HOMO. CAP. XXXVIII.

**P**alma in mysticis literis celebratissima, duplici de causa hominis simulacrum esse putatur: primò, quia fructum non fert sine coitu, sed replentur ejus rami gemmis masculis, quasi semine quoddam; deinde quia in superiore parte habet, quasi cerebrum, quod Hebræi *Halulab*, Arabes verò *Che-dar*, vel *Gemar* vocant, quo corrupto moritur arbor, sicut cerebro læso homo interit, quod quidem huic soli inter plantas contingit: tertio, quod comam in cacumine habeat, & ramos in manuum modum protensos, & fructus digitorum figuram præ se ferentes unde daetyli, id est, digiti sunt appellati: palpa quoque ipsorum fructuum caro appellatur, multum sanitati conferens, & vel ex vi quadam animalis

Palma cur  
hominis  
hierogly-  
phicum,

animali